



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 112. Idem unacum Campedio Legatus in Anglia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

tuenda fide Catholica sancire decreverant, nomen daret, Volseus hanc legationem sibi a Papa non fuisse delatam, injuriæ loco habebat; unde, cum Campegius adhuc iter Angliam versus proficeretur, Leoni significari jussit, merito se iniquo ferre animo, quod ipse, cum tamen sit Cardinalis, jamque in regno præsens existeret, primusque Regis Minister esset, flocci tamen haberetur, quapropter palam declaravit, quod per hunc contemptum sibi adempta esset Sanctitati suæ inserviendi potestas, eoquod ejus opera in iis, quæ Papa peteret, nullius prorsus momenti foret, utpote Viri, cui ipsamet Romana curia hanc Legationem demandare dubitasset; de cetero Pontificis plurimum interesse agebat, ut ad consequenda sua vota ipsius præsidio uteretur, cum ipse tanta apud Regem polleret auctoritate, ut Papa abs ejus auxilio certius spe sua frustraretur.

## §. CXII.

*Volseus unacum Campegio Legatus  
in Anglia.*

Ex ejusmodi verbis Leo Papa haud obscure intellexit, Volseo cedendum esse; quapropter literis die decima septima Maji datis in Legationis munere cum pari

Sæcul. XV.

A.C. 1519.

Sander. l. 2.

de schismat.

Angl.

sæcul. XVI. pari auctoritatis amplitudine eundem  
A. C. 1519. Campegio adjunxit, „Notum est nobis,  
 „ (inquit Pontifex in epistola ad Volseum  
 „ directa) quantum apud Regem valeas,  
 „ tuoque arbitrio relictum esse, illum  
 „ aut nobis propitium, aut adversum  
 „ reddere. „ Jamjam Campegius Bo-  
 noniam in Picardia venerat, nilque pro-  
 prius erat, quam ut mare trajiceret: ni-  
 hilominus Volsei artibus tamdiu ibidem  
 hærere compellebatur, donec Pontificis  
 responsum in Angliam deferretur, quo  
 accepto Volseus confestim Campegio  
 nunciavit, ut conscensa navi iter accele-  
 raret. Ergo Londinum appulsus, die  
 vigesima nona Julii urbem ingressus est,  
 cumque Campegii apparatus parum ma-  
 gnificus esset, Volseus eidem duodecim  
 mulos pretiose ornatos obviam misit.  
 Posthæc proferebatur quædam Leonis X.  
 Bulla, qua indulgentiæ concedebantur  
 omnibus illis, qui horum Legatorum al-  
 terutri sacrum præsentem Rege atque Re-  
 gina facienti interessent, aut saltem con-  
 triti ac confessi ab eis sacram benedictio-  
 nem reciperent.

## §. CXIII.

*Remolini Cardinalis obitus.*

Ciacon. in  
 Alex. VI.  
 p. 202.

Hoc anno die quinta Februarii, quæ e-  
 rat feria sexta Romæ obiit Francis-  
 cus